



174
m.



Kern 3490 C 1-16)

547

DISSERTATIO INAUGVRALIS MEDICA

15

DE

F E B R E
INFLAMMATORIA
SIMPLICI

QUAM

CONSENSU GRATIOSAE FACULTATIS
MEDICAE

PRAESIDE VIRO ILLUSTR

IOAN. CHRIST. REIL

MED. ET CHIR. DOCT. PROFESS. THERAP. PUBL. ORD.
SCHOL. CLIN. DIRECT. H. T. FACULT. MED. DECANO
CIVITATIS HALL. PHYS. ET SOCIET. ACAD.
IMPER. N. C. SODALI.

PRO

GRADU DOCTORIS MEDICINAE
RITE CAPESSENDO

D. VII. MAII M D C C X C I V.

PUBLICE DEFENDET

FRIDERICUS AUGUSTUS BARCHEWITZ,
SILESIUS.

HALAE,

TYPIS MICHAELIANIS.



DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA
DE
FEBRE
INFLAMMATORIA
SIMPLICI

CONSENSU GRATIOSAE FACULTATIS
MEDICAE

FRANSHOR VIRO ILLUSTRIS
IOAN. CHRIST. REIL

MD. ET CHIR. DOCT. PROFESS. PUBL. ORD.
SOD. CIV. DIST. M. S. SOCIET. MED. PRUSS.
CIVITATIS HAMB. PUBL. ET SOCIET. ACAD.
LIPSIÆ, M. S. SOCIET.

PRO
GRADU DOCTORIS MEDICINAE
RITE CAPESSENDO

D. VII. MAII MDCCCXIV.
PUBLICE DEFENDET

FRIEDERICUS AUGUSTUS BARCHWITZ
SILESIUS

HALLÆ
TYPI MICHAELIANI



VIRIS

EXCELLENTISSIMIS, DOCTISSIMIS,
EXPERIENTISSIMISQUE

DOMINO

JO. CHR. EHR. GEBAUER,

MEDICINAE DOCTORI, CIVITATIS LIGNITZIENSIS

CIRCULIQUE PHYSICO, COLLEGII MEDICI ET

SANITATIS CIRCULI GLOGAUIENSIS

ADIUNCTO.

VIRIS

RECHENKUNDE, DOCTEUR
EXPERIMENTALIS

D. O. M. I. N. O.

JO. CHR. FÜR. GEBÄUER,

MEDICINAE DOCTOR, CIVITATIS LEIPZIGENSIS
CENSURAE PHYSICAE COLLEGIUM ACADEMIAE ET
LEIPZIGI ACADEMIAE
LIBRARIUS



NEC NON
DOMINO
MELCHIOR AUGUSTO
BARCHEWITZ

MEDICINAE DOCTORI ET PRACTICO, COLLEGII
REGII MEDICI ET SANITATIS CIRCULI GLOGAVIEN-
SIS ADJUNCTO, HAYNOUIENSIS CIUITATIS
POLIATORI

PATRI SUO
AD CINERES VSQUE PIETATE COLENDO.

HASCE
PRIMITIAS STUDIORUM ACADEMICORUM
SACRAS ESSE VULT ET OFFERT.

AUCTOR.



MED. NON
DOMINO
MELCHIOR AUGUSTO
BARCHEWITZ

REPUBLICANAE DOCTOR ET PRACTICUS COLLEGI
MAGNI MEDICI ET SANITATIS CIRCULI GROSSAUE-
RI ANNO 1800, HANNOVERENSIS CURIAE
PUBLICAE

PATRI SUO
AD CENSURAS VIGILAE PLETAE COLENDI

HABERE
PRIMITIAS STUDIORUM ACADEMICORUM
SACRAS ESSE VULT ET OFFERT.

AUCTOR



§. 1.

Denominatio.

Inter varias, quae apud varios scriptores occurrunt morbi nostri denominationes, haec esse maxime vulgaris videtur: Febris inflammatoria simplex, synochus imputris, febris continua non putris, febris acuta simplex. Aliis febris ardens^{a)} nominatur, attamen nonnullis hoc nomine aliam febrium speciem insignire placuit, et Grantius^{b)} sub nomine synochi imputris febrem neruofam intelligit. Apud Vogelium^{c)} inuenies ejusdem morbi denominationes.

§. 2.

- a) W. Buchans Hausarzneykunde. p. 185.
b) Beobachtungen über die Natur und Heilung der Fieber. p. 168.
c) Vogel Handbuch der practifchen Arzneykunde. Th I, p. 298.

Diagnofis et decurfus morbi.

Est febris noſtra continua remittens cum diatheſi corporis inflammatoria absque locali tamen inflammatione. Plerumque ſubito, ſine prodromis inuadere ſolet, ſcire autem intereſt, febr̄i inflammatoriae grauitatis, anxietatis atque obnubilationis interdum antecedere ſenſum, haſque moleſtias quandoque aliquot dies perdurare, antequam dici poſſit, aegrotum febre ejuſmodi laborare. Sunt enim tantummodo ſymptomata acceſſum talis morbi ſignificantia, quae plerumque tandiu negliguntur, donec frigus acceſſerit, pulſus frequentia, motusque ſanguinis agitatio ad ſummum euecta fuerit. Vbi autem repente, inopinatoque ſine prodromis aggreditur a frigore ordiri vehementiſſimo ſolet, cui ſuperuenit calor, qui a calore febris putridae ita diſcernitur, vt ſub manus medici diminui videatur; quum calor febris putridae ſemper creſcat, mordacisque nomen mereatur. Quo cum calore plerumque pulſus plenus, magnus durus, et celer ſe conjungit, qui autem minus durus ^{d)}, et minus ſpaſticus eſt, quam in ceteris inflammationibus, vbi pulſus cum robore inſignem adipiſcitur duritiem, dolores capitis in exacerbatione facile in furorem tranſeuntes, quam ob rem etiam aegroti in acme morbi praecipue deliriis afficiuntur. Vis vitalis vigor et vehementia delirii praefentis deſigniri ſolet, quod praecipue in ea ſpecie ſynochi, quae quibusdam pathologiſ ſanguinea vocatur, animaduertitur, vbi omnia ſymptomata vehementiſſima ſunt et ad capitis, thoracis aliarumque partium, inflammatio-

d) Selles Fiberlehre, von Hopf überſetzt. p. 106.

mationem summa adest omnino procliuitas. Maximum enim in delirio vigoris gradum affecuta esse videtur vis vitalis. Facies rubet, intensius calet, tumet ita, vt ejus vasa vehementius in conspectu ponantur. Oculi prominent et photophobia laborant, splendorem naturalem conseruantes. Palpebrae siccae et dolorificae, exspiratio ardens; respiratio frequens, labia, os, et cutis sicca, praecipue quidem morbo ad huc crudo, interdum autem humida et mollis. Sitis vehemens, ciborum solidorum fastidium, lingua sicca, alba et dura, interdum rubra aut nigra^e), summatimque omnibus in functionibus siccitas est obuia. Aluus obstructa aut dura; sapor odorque deprauatus. Vrina rubra parca propter inopiam feri, quia partes in eadem contentae non satis dilutae sunt. Sanguini feri deest debita copia, congestiones sanguinis ad caput oriuntur, pulsatio arteriarum temporabum; congestiones in infantibus perpetuum gignunt soporem, in adultis contra peruigilium aut somnum, somniis et deliriis saepissime perturbatum. plerumque tussis dolorosa atque sicca. Aegroti meliora sperant, et integras habent vires vitales. Typus febris est tertiano duplicatus, vt alternorum dierum exacerbationes sibi respondeant. Crises contingunt diebus, quibus exacerbationes vehementissimae esse solent, quod si e. c. in diebus imparibus locum habet, Crisis etiam diebus, imparibus fieri solet. Exacerbationes et remissiones perspicue discernuntur. Post venae-sectionem remissiones diutius perdurant, plerumque hora vespertina atque noctu calorem incrementa capere animaduertimus, tunc etiam dolores capitis et sitis augentur et respiratio grauior fit. Haec febris

e) Buchan, l. c. p. 186.



febris omnino valde est similis Ephemerae, nisi quod haec aegrotum subito aggrediatur neque tam insigni calore neque tam vehementissimis symptomatibus stipetur, quam febris inflammatoria simplex; praesertim vero, quod ephemera vnum tantum nychthemeron perdurare, synochus vero semper ultra aliquot dies, plerumque ad octiduum usque persistere solet. Ulcera hoc in morbo obtuta facillime inflammantur et exsiccantur: Sanguis e vena missus post aliquot temporis spatium in densam, tenacem, firmamque massam concrevit, cui crusta crassa, dura, alba et corio similis inhaeret, quae crusta inflammatoria seu pleuritica, etiam corium pleuriticum vocatur. Haec crusta minime est signum pathognomonicum inflammationis ^f), attamen raro abesse solet. Tempore hyberno in fanis et bene valentibus aut alio morbo infectis hujusmodi corium in sanguine inuenitur ^g). In equorum etiam sanguine detracto optima valetudine fruentium hujusmodi crusta deprehenditur ^h). Interdum et crusta non conspicitur, si incisio nimis parua facta est; praeterea etiam non raro contingit, ut sanguis ex vno brachio missus corio pleuritico gaudeat, dum ex altero missus nullum exhibet. Plerumque sic, ut ⁱ), Murfinna obseruauit, sanguis e pede missus nulla gaudet crusta, quod hic pleurum.

f) de Haen ratio medendi P. I. C. 4. S. 74. II. 6.

Boerhaue. Praxis medic. T. I. S. 203. v. Swieten, Commentar. T. 3.

g) Vogels Handbüch, Th. I. p. 305.

h) Burserius, d. Kanisfeld instit. med. pract. V. I. P. I.

i) Medic. chirurg. Beobachtungen, zweite Sammlung, S. 57.

rumque incisio venae nimis parua instituitur ^{k)}. Gesnerus cum aliis medicis negat, venae parua incisionem crustam hanc impedire posse, cum in viscerum inflammationibus per angustiora exsudare interstitia eadem posse materies videatur; fida tamen experientia viri hujus opinioni obloquitur. In inflammationibus topicis haec crusta sanguinis magis perspicua et firmior animaduertitur, quo propius parti morbosae hic detrahitur et eo minus, quo procul a parte morbosa venaesectio instituitur; Leuamen etiam, quod venesectio efficit, eo majus esse solet, quo densior fuerit crusta Sanguis lente stillans nullum exhibet corium pleuriticum, nisi guttae sint magnae, citoque alteram altera sequatur et nisi multa copia feri adsit. Crustae firmitas, arcui, quem sanguis e vena scissa profliens format et vasis angustiae respondere solet. Corium faecipissime in hujusmodi venaesectionibus prout vas excipiens, diuersum est; hoc enim casu in vase contentus sanguis crusta ista desuper plane obducitur in altero infulas tantummodo format, dum in alio nullum hujus corii indicium reperitur. Haenius ipse obseruauit altero disco densam solidamque crustam, altero sanguinem plane solutum. Liqueat ex hucusque dictis, a variis conditionibus effici crustae ortum inflammatoriae. Etenim tum venae sciendenda methodus, tum fluentis sanguinis arcus, tum vas eum excipiens et temperies, cui sanguis exponitur, huc conducere possunt. Interdum etiam in aliis morbis corium tale obseruatur, e. g. in arthritide, in podagra, in rheumatismis ^{l)} in phtisis, in

k) Sammlung von Beobachtungen aus der Arzneigelehrtheit. I. 2. 3. 5. B.

l) Goenners Einleitung in die Pathologie. p. 230.

in nonnullis febribus intermittentibus, in ipsis etiam febribus putridis et nervosis ^m). Praeterea haec crusta observatur in hominibus, qui frictis fibris gaudent, victu lauto vtuntur, corpus saepe mouent et in subjectis obes, non minus etiam in vtero gerentibus. Quod corium etiam Helueticorum naturae ⁿ) conueniens esse dicitur. Verum corium pleuriticum praecipue distinguitur qualitate sua coriacea et densa, aegre separari potest et colore gaudet subflauo, qui in inflammationibus vehementibus etiam in subfuscum transire solet. Plus minus hac conditione priuatur, si morbus inflammatorius complicatus fuerit, aut sanguis alienis scatuerit vitii. Interdum superficie sanguinis nullam crustam observamus, subnatata autem interdum in medio solet. Crassities ejus a paruis tenuibus, irregularibus et singulis arctis filamentis ad crassitudinem pollicis ascendit. In subjectis cachecticis, scorbuticis et inprimis illis, qui saepe spirituosis vtuntur, corium plerumque est tenue, cum cruore in Insulam, vt ita dicam, coadunatum atque coaggratum, quae multo sero innatat; calore et crassitie membranae simile est. Simul valde tenax, in robustis contra sanis et viuacibus subjectis corium valde est crassum, densum, firmiter parietibus vasis adhaerens et totam sanguinis massam serique paucam quantitatem obducens. Pulsus frequens magnus, plerumque corium crassum denunciat, sed non semper vice versa. Corium pleuriticum in inflammationibus ambitui earundem dolorisque vehementi-

m) Home, Med. Facts and Exper. p. 194.

n) Sarcone Geschichte der Krankheiten zu Neapel, Th. I. S. 96.

mentiae plerumque respondet, quamquam morbus minui omnino potest, corio adhuc persistente. Ad repetendas forsan venaesectiones medicus aliquo modo corii praesentia inuitatur, sed nullo modo has semper repetere licet, donec sanguis nullum corium amplius formauerit, quia vltima ipsa et morbum soluente venaesectione sanguis saepissime corio obducitur. Quo compactior sanguis e vena fluit, eo crassius et tenacius corium esse solet. Sanguis autem altius rubens raro id exhibet. Densitate crustae pleuriticae non semper morbi vehementia indicatur. Corium non crassum, album, separatu facile plerumque morbum lenem indicat. Interdum sanguis sanissimus missus in morbis inflammatoriis nullum salubre indicat signum, si leui simul crusta inflammatoria tectus est, et eo magis vita periclitari videtur, quo vehementior inflammatio fuerit. Attamen febres inflammatoriae feliciter etiam solvuntur, sanguine e vena missa nullam crustam formante. Quod ad originem huius crustae pleuriticae pertinet, medicorum opiniones adhuc dissentiant: Haller, Schwencke et alii materiam corii serum esse putant; Haenius, Hewson, Fordyce, Macbride, Gesner et alii cruorem et ejus lympham aut fibram sanguinis, Gaubius et alii vtrumque esse credunt ^{o)}. Moscati ^{p)}. Callisen ^{q)}

ex

o) W. Hewson inquiries in to the properties of the blood in the philos. Transf. Vol. 60. S. 368. Uebersetzt in Crels chemischen Journal. Th. I. S. 137. und in der Sammlung auserlesener Abhandlungen zum Gebrauch pract. Aerzte.

p) Moscati neue Beobachtungen über das Blut und die thierische Wärme, übersetzt von Cuestlin. S. 31.

q) Callisen institut. chirurg. S. 62.

ex tenuiore sanguinis qualitate dum crassa nascitur, argumentantur, sanguinem et praecipue partem coagulabilem solutiorem et dilutiorem esse debere: globulos itaque sanguinis suo absoluto pondere grauiore otium habere, vt se solos separent et praecipitent et nunc partem leuem et fibrosam supra et incoloratam restare, ergo credunt, effectum verae Inflammationis in diminuta sanguinis procliuitate ad coagulationem consistere. Alii contra, auctam esse hanc procliuitatem, existimant, quam partim in eisdem mutata mixtione et partis fibrosae inde abundantia respectu feri, partim huiusce feri coagulabili parte aucta versari arbitrantur. Sydenham ^r), Simson ^s), Quesnai ^t), Sauvages ^u), de Haen ^v), Platner filius ^w), et alia materiam corii pleuristici perniciem cruditatemque sanguinis et lymphae aut his conjunctas fordes esse putant. Pringlius omnino partes septicas fingit, vt hoc explicet phaenomenon.

§. 3.

- t) Obseruat. medic. circa morb. acutor. hist. et curationem. Lond. 1676. 8.
- s) De re medic, dissert. quatuor p. 108. ed. Schlegel.
- t) Observ. sur les effets de la seignée etc. Paris 1750.
- u) Dissert. sur la theor. de l'inflam.
- v) l. c.
- w) Supplementa in I. Z. Plattneri institut. chirurg. P. I. p. 29.

§. 3

Solutio morbi.

Soluitur plerumque quarto, septimo aut decimo quarto die, raro hunc superat. Crisis per Sudorem aut urinam efficitur, quae albo aut lateritio sedimento gaudet, etiam per haemorrhagias, praesertim narium. Parvae haemorrhagiae sunt malivominis. In sexu sequiori crisis interdum per menstruationem efficitur, si quidem periodus menstrua adest; in haemorrhoidariis per haemorrhoides, Quodsi contra febris propter neglectum auxilium, malum regimen aut propter alias internas et externas causas recruduerit, alii morbi producantur e. e. Febris putrida, peripneumonia, aliae inflammationes topicae, continuum delirium; hocque in casu lingua in dies siccior fit, cuticula, qua obducitur crassior, respiratio difficilior, anxietas major, pulsus debilior, urinae secretio minuitur, loquela caret naturali sono, facies collabitur, abdomen intumescit, subsultus tendinum et denique mors sequitur. Interdum suppuratio vniuersalis efficitur in omnibus visceribus, quae post mortem pure obducta inueniuntur et ibi quidem pus inuenitur, ubi alioquin lymphae fecernebatur. Sellius quaestionem mouet ^{x)}, an hic forsitan opinio nonnullorum recentiorum de inflammatione arteriarum sit admitenda? Hanc quaestionem immortalis Frankius abseruatione egregia iam diremit, cum totum systema sanguis ferum erysipelacea sed profunde rubra phlogosi affectum esse animaduernerit ^{y)}.

§. 4.

x) Fieberlehre von Hopf übersetzt, p. 10.

y) Frank de curand. hominum morb. Vol. II. p.

§. 4.

Causae praedisponentes.

Aetas maxime iuuenilis ab anno decimo septimo ad quadragesimum quintum huic feбри obnoxia est, corporaque valida et robustiora plethora laborantia, quae solido, firmo et bene elaborato sanguine, fibra stricta gaudent et quorum partes solidae omnino valde irritabiles sunt; Subjecta, quae optima digestionis organa gerunt, victum simplicem, nutrientem et vitam non inertem agunt, vt operarii et rustici. Saepissime etiam inter incolas regionum montanarum, siccarum et septemtrionalium, quas aquilo et vultur perflant, ubi atmosphaera serena et aër elasticus est, vim suam morbus hic exercere solet. Feminae iuueniles, praecipue grauidae et puerperae feбри huic obnoxiae sunt. Pueri, quorum sanguis valde serofus est, raro ea afficiuntur.

§. 5.

Causae occasionales.

Huc omnia haec adnumerari possunt, quibus transpiratio supprimitur, ut decubitus in solo humido, refrigerium corporis, praesertim potus frigidi in calefcente corpore ingesti, haemorrhagiae suppressae, quidquid demum corpus calefacit et plethoram procreat. Huc referenda etiam sunt insolatio, inflammationes topicae, vulnera, irritamenta materialia vulnerum, magna intentio virium corporis, immodicus spirituosorum vsus, medica-
men-

mentororum drasticorum abusus, immodici animae affatus, acrimoniae omnis generis, continuus boreae, vulturni et circii flatus, continuus aër siccus et frigidus, defectus motus et somni, subita aëris mutatio. Huc etiam referendi sunt vapores contagiosi. Tempore veris et hyemis hae febres grassant et frequentissime in regionibus frigidis. ²⁾ Huc etiam constitutio epidemica spectare videtur.

§. 6.

Causa proxima.

Causa proxima adhuc ignota est. Nonnulli in lentore sanguinis inflammatorio ponendam esse existimant; hic autem non causa, sed effectus febris est. Haud dubitatur, quin praesente dispositione unusquisque stimulus febrem excitare possit. sic e. c. stimulus miasmatis variolosi in frigidis anni temporibus febrem inflammatoriam producit, vti suppressa materia transpirabilis.

§. 7

Prognosis.

Febris inflammatoria simplex est benigna, raro lethalis si bene tractatur et nulla alia causa generinum inflammatorium genium mutauerit, quia plethoram minuit et revera etiam materias morbificas euacuare potest, vnde nonnulli eam febrem depuratoriam nominarunt, interdum etiam varios

B spasti-

²⁾ Brocklesby ökonomische und medic. Beobachtungen.
Uebersetzt von Selle. S. 96-

spasticos, convulsivos, paralyticos aliosque morbos nervosos et vitia primarum viarum sanat. Ad corporis incrementum et sanitatem confirmandam, laudabili exitu, confert. Suspectus est dolor fixus, cum semper inflammationes topicas indicet, respiratio difficilis et dolores abdominis sunt mali ominis, nam peripneumoniam et enteritidem suspicari possumus. Alius nimis laxa periculosa est, nam ejus ope sanguini serum detrahitur, quo jamjam eget et profecto hoc magis adhuc inuuit secessus sanguinis. Aegrotus perit, si pulsus antea plenus et durus subito in paruum et mollem mutatur, cum extremitatibus frigidis, si in partibus internis calor, et in externis frigus oritur. Si respiratio fit difficilis et sanguis nullam ostendit crustam inflammatoriam, tunc crassamentum in pulmonibus stagnavit.

§. 8

Complicationes.

Febris inflammatoria simplex comitatur omnes genuinas inflammationes topicas, quae febre conjuncta et ejusdem sunt generis, multis in casibus catarrhos benignos, rheumatismos acutos, morbos exanthematicos febriles, e. g. variolas, morbillos, scarlatinam, erysipelas, pemphygum, esse-ram, miliare et petechias, dysenteriam, quadam ratione etiam pestem. Praeterea complicatur etiam cum statu bilioso, putrido et nervoso, quibus vero conjunctis difficillime dignoscitur, et statim peculiarem suam naturam et conditionem perdit. Saepissime etiam constitutio epidemica et indiuidua corporis qualitas multimode eam commutat, inde variae denominationes enatae sunt e. g. Synochus chole-

cholericæ seu ardens, si causæ synochi biliosum seu ardens et siccum corpus inuadunt. Hic calor vrens, siccitas et sitis obseruatur. Signa bilis ibidem non causa sed effectus sunt febris. Porro vocatur Synochus inflammatoria ect. Nonnulli etiam malignum sibi fingunt synochum. Synochus, si propter neglectum auxilium solitum durationis tempus superet, aut vehementia sua non satis inhiberi possit, propter vis vitalis vehementer auctam reactionem in febrem putridam transit, aut vires solidarum partium magnopere debilitantur, ita, vt natura perfectum salutare decrementum conciliare nequeat, inde aegrotus iterum iterumque in morbum relabitur et metastases, imprimis purulentas, subit, quæ varias partes inuadunt, nouisque manus præbent morbis. Nec raro febris in intermittentem mutatur. Præcipue in subjectis plethoricis, si male succedit, inopinate cerebrum et pulmones inflammantur, quod tunc præcipue verendum est, si tussis vehemens et respiratio difficilis est. Ex eodem fonte etiam variæ læsiones et destructiones contentorum abdominis sunt derivandæ in cadaveribus inuentæ.

§. 9.

Methodus medendi.

Symptomatice tantummodo hanc febrem tractare solemus, cum causa proxima sit ignota. Nil agendum est, nisi quo natura vergat eo ad coctionem salutarem et crisiñ conducatur. Nimia nempe virium vitalium adest intensio, motus vehementer auctus diminuendus est, quo crisiñ impeditur. Hæ itaque formandæ sunt indicationes:

B 2

1). Ni:

1.) Nimia tensio et irritabilitas deminuendae, ab his enim motus humorum magnopere auctus pendet.

2.) Diathesis phlogistica est remouenda, id quod efficitur remediis, orgasmum sedantibus et stimulum deriuantibus.

3.) Curandum est ut crisis adjuuetur siue producatudine sudore, siue vrina, siue hemorrhagiis.

His indicationibus satisfaciamus sequentibus remediis.

A.) Venaesectione; haec est praecipuum subsidium, celeriori ejus aut tardiori applicationi innititur breuis aut longus febris decursus aut ipsa vita aut mors. Si statim in principio febris, et quidem in hoc casu, ubi prodromi adsunt, plethora ita diminuatur, ut aequilibrium inter vasa et sanguinem restituatur, prius quam sanguis summam diathesin inflammatoriam adeptus fuerit, morbus interdum plane euanescit et naturae regulares motus restituantur. Si vero auctus hic motus sine medici auxilio diu perdurat ut diathesis sanguinis inflammatoria sequatur; euacuationes quidem leuamini sunt, sed febris per aliquod dies adhuc diutius perdurare debet, ut praeternaturalis tenacitas et spissitudo sanguinis sic dicta coctione elaborari et e corpore auferri posset, priusquam sanitas restituantur. Attamen hanc viam raro in principio ingredi possumus, quum genius febris principio non semper sic manifestus sit. Venaesectio in febribus inflammatoriis indicatur, ubi pulsus durus, facies tumida, dolor capitis vehemens, pervigilium
et

et sopor adest aut ubi ab haemorrhagiis suppressis orta fuerit. Porro si aegrotus robustus et juvenilis sit. Praecipue instituenda est venae sectio, si symptomata, quae praesentiam inflammationis topicae indicant, adsunt, hic venae sectionem accelerare oportet. Si nulla adest inflammatio topica locus venae sectionis ab arbitrio nostro pendet; in inflammatione vero topica, venae sectio parti inflammatae quam proxime instituenda est. Quoad tempus venae sectionis instituendae, eo melius quocitius. Incisio magna, ut partes sanguinis tenaciores facile fluere possint, esse debet. Optime scalpro chirurgico vena inciditur, partim securitatis causa, partim vero quia tunc magnitudo incisionis a chirurgo dependet. Prima venae sectione, quae in corpore adulti instituitur apud nostrates duodecim aut quatuordecim unciae sanguinis detrahi possunt. Nihil autem hoc in casu certi fixique determinari potest; semper enim ratio habenda est morbi gradus, symptomatum vehementiae, aetatis, constitutionisque aegroti, constitutionis denique epidemicae. Si aegroti ad animi defectionem proclivitatem habeant, tunc venae sectio in lecto instituitur, hoc tamen raro necesse est, quia subjecta, alioquin, dum vena secaretur lypothimia obnoxia, febre correpta inflammatoria simplici venae sectionem firmo animo sustinere possunt. Ad recte judicandum sanguinem e vena missum, Hewsonii sententia sanguis excipiendus est in vasculis, quae theae bibendae inferniunt et eadem ratione Hey docet sanguinem ambitu incisionis non paruo in vasa fictilia ejusdem magnitudinis fluere debere, dum idonea est aëris in cubiculo et atmosphaerae temperies. Sanguine fluente pulsus explorandus est, qui, dum mollis et respiratio facilior sit et symptomata capi-



capitis evanescent, sanguinis fluxus liberum esse concedendum indigitat. Post primam venae sectionem febris remittit, sed statim exacerbatio revertitur, quo facto altera instituitur venae sectio, plerumque sex ad octo horas post primam. Si post primam venae sectionem pulsus durus et frequens, aut si denuo ita mutatur, hoc indicat, venae sectionem iterum esse repetendam. Inderdum febris post primam venae sectionem crescit, pulsus frequens, plenus et major, dum ante non tam vehemens erat, et ut brevis sim, propter copiam sanguinis suppressus. Insignis haec est ad venae sectionem reiterandam indicatio, qua tandem optata impetrantur et febris minuitur. Quo celerior exacerbatio revertitur, eo liberalior secunda venae sectio esse debet. Tertia enim venae sectio etiam instituitur ad symptomata urgentia sedanda. Ratio est semper habenda constitutionis aniversalis, praesertim vero aestate potius quam hyeme, ubi sanguinis facilius praeparatur. Neque dispositio putrida, ubi adfuerit, spernenda est, in hujusmodi praesertim constitutione. In febribus inflammatoriis simplicibus, si congestiones ad caput et pectus adsunt, cucurbitula ad humeros applicantur et hirundines pone aures. In infantibus etiam, si necesse sit, venae sectio instituitur; sed hi venae sectionem moleste ferunt et hirundines etiam cum emolumento ad furas admouentur. Infantibus, quatuor ad decem annos natis, duo hirundines utrique furae applicandae suadentur. Si vasa corporis et carotides valde pulsant, facies valde rubet et guttae sanguinis e naribus fluunt, haemorrhagiam narium adjuvare studendum est vaporibus, qui naribus attrahuntur et calnis stramineis, quibus vascula narium titillantur. Quo magis humida et ca-

lida

lida fit tempeſtas et anni tempus; quo magis febris ad putredinem inclinat, eo magis provide venaeſectio inſtituenda eſt. Sic etiam methodus medendi, ubi in complicatis caſibus febris tandemmodo ſymptomata eſt, diverſimode variari ſolet, cum ad complicationis et ad morbum primarium ſeſe acco mmoda redebeat.

B) Nitrum. Calor ſanguinis per nitrum minuitur, in ventriculo ſolutum, partem ejus maximam abſorbens, quatenus in ſubſtantia, ut dicunt, propinatur ^{aa}). Indoles autem et virtus ejusdem, ſanguinis orgaſmum diminuendi, vi ipſius relaxanti ſolidum viuum et motus irregulares naturae ſedanti potius, quam refrigerio in ſolutione ejusdem producto tribui debet, hoc enim modo ſudores ac urinam promovet atque inflammationem ſolvit. Datur nychthemero a duabus drachmis ad unciam; optime in forma pulveris refracta doſi, vt

R. Nitri depurati ℞.

Cremoris Tartari gr. vj.

Sachari lactis ℞j.

M. f. pulv. Diſp. dof. XII. S. Alle Stunden ein Pulver.

Sunt, qui magna doſi propinandum eſſe nitrum exiſtimant, praecipue Brocklesby ^{bb}); ſed nimis longus et copioſus nitri uſus facile dolores et diarrhoeam

aa) Grens Pharmacologie. 2 Th. p. 182.

bb) Cullens Materia medic. von Hahnemann. 2 Th. p. 387.

hocam producit, quae in febribus inflammatoriis noxiae habentur; cum organa digerentia maxima debilitet ^{cc)}. Quod si metuendum sit, omittitor, et potius aliis remediis utitor. Optimum est Sal ammoniacum, quod egregie in solutione propinatur.

R. Aqua Ceraforum nigrorum ℥vj.

Salis Ammoniaci ℥jv.

Syrupi Flor. Papaveris

Oxym simpl. aa. ℥j.

M. D. S. Alle Stunden einen Eßlöffel.

Si a nitri usu nervi ventriculusque debilitantur et spasmi in regione epigastrica excitantur; tunc acida vegetabilia sunt substituenda, acida vero mineralia in febribus inflammatoriis non indicata sunt ^{dd)} plerumque enim acida vegetabilia, praecipue acetum vini sanguinem diluere et resoluere, acida autem mineralia increassare et coagulare posse creditur.

A quibusdam medicis ^{cc)} acidum vitrioli prae omnibus acidis vegetabilibus vt antiphlogisticum in morbis inflammatoriis commendatur. Ex acidis vegetabilibus suppetidatur sal essentielle Tartari, acetum, succus Citri, acetum rubi idaei, succus ribijum, Oxymel simplex. Schola vero medicorum usum acidorum mineralium in febribus inflammatoriis

cc) Moenchs Arzneymittellehre. p. 149.

dd) Grant Beobachtungen über die Fieber aus den Engl. p. 128.

ee) Hahnemann in der Anmerkung zu Cullens Mat. medic. 2 Th. p. 374.

toris non excludit et sequentibus in casibus ea adhiberi possunt.

1.) Si nitrum ut ipsa acida vegetabilia primas vias nimis debilitant.

2.) Si status inflammatorius nimis diu perdurat, ut e. c. in vulneribus, fracturis, hic nitrum et acida vegetabilia vim suam exercere diutius non possunt.

3.) Quodsi timendum est, ne in febrem putridam mutantur, quod saepius fit in aestate mense Augusto et in locis, vbi putridi adsunt vapores e. c. in nosocomis et in publicis hospitiiis.

C.) Laxantia. In genere non indicata sunt, diathesis enim inflammatoria directe ac immediate his remediis non tollitur. Praecipue nocent, si pulsus durus. calor ingens et vehemens cum siccitate et feri defectu adsit. Tempore crisis maximo esse possunt detrimento, dum humores ad interna alliciunt, ideoque sudorem turbent; a Cullenio et aliis laxantia ad massam humorum imminuendam commendantur, nullo autem jure, si humores ferrosi tantummodo euacuentur, quo facto diathesis phlogistica haud quaquam tollitur. Attamen sunt casus, vbi ea adhiberi licet, e. c. si cruditates in primis viis adsint, hic laxantia antiphlogistica et emetica, quae ut diaphoretica simul agunt, ordinanda sunt. In morbis inflammatoriis interdum fordes transitoriae inveniuntur, quum unaquaeque febris corruptionem humorum producat, haec saburra transitoria dignoscitur lingua crusta obducta, sapore amaro, dolore pressorio in scrobiculo cordis. Hujusmodi saburra gastrica stimuli vices gerens, ad febrim augendam plurimum conducere potest,
aut

aut febrem praesentem inflammatoriam in febrem putridam mutare, remouenda igitur est. Exhibantur tantummodo lenia eccoprotica, ut cremor-tartari, tartarus tartarifatus, sal mirabile Glauberi, Sal Seignette, Manna, pulpa tamarindorum, Casiae et sic porro.

R. Mannae electae ℥j.

Salis seignette ℥℞.

Aquae feruidae fontan. ℥iv.

Ebull. col. D. S. Alle zwey Stunden einen Eßlöffel voll zu nehmen.

Laxantium loco etiam clysmata adhibentur, si nullae amplius adsint sordes, si obstructions alui nae, vt etiam, vbi congestiones ad caput et pectus inueniuntur deriuandi causa ad humectationem sanguinis applicantur. Parantur clysmata e sero lactis ex decocto radicum graminis, altheae, herbae et florum maluae, ex decocto florum verbasci, chamomillae etc. cum tribus aut quatuor cochlearibus mellis et totidem olei lini recens expressi et vna ad duas drachmas nitri. Quem in finem etiam serum lactis acidum et lac ebutyratum cum nitro optime inferuiant. Dantur haec remedia in paruis dosibus, vt in sanguinem transeant, attamen antea aluus aperiente clysmate purgari potest.

D. Humectantia et antispasmodica. Ad humectandum corpus aegroti largus et frequens potus siti jamjam indicatus, porrigatur necesse est, verumtamen caueatur potus ne iusto frigidior sit. Cum his coniunguntur, vt supra jamjam dictum est, clysmata et humectationes atmosphaerae, remedia externa ad humectandum corpus et sedandum spas-

spasmm, lauatio extremitatum cum aqua tepida^{ff)},
 panni lanei et lintei, aqua feruida imbuti, pectori
 abdominique imponendi sunt. Haec quidem reme-
 dia tunc imprimis votis responderunt, si, quamuis
 praemissa sufficienti venae sectione et potibus largi-
 ter datis, circa tempus vbi decrementum expecta-
 re licet, cutis semper sicca remanet, cui scopo bal-
 neum quoque calidum, si res ad extremum descensa
 est, saepius profuit et crisin optimam per sudorem
 progenit; balnei vice, suadente Denhamio, si ae-
 grotus non sine maxima difficultate tractari potest,
 vaporarium in lecto adhibitum subire potest, quod
 eosdem praestat effectus. Si autem et vaporarium
 adhiberi nequit, aegrotus spongia in aqua feruida
 immersa lauandus est. Quantoperè vero balneum
 tepidum in periculosissimis casibus valeat potentissi-
 me et citissime impedimenta remouere, quae status
 spasticus cutis in obstructione pororum, sordibus te-
 nacibus producta, naturae cum morbo certanti ob-
 jicit, id Lentin^{gg)} multis notatu dignis et conueni-
 entibus exemplis probauit. Haec remedia humores
 ab internis ad externa ducunt, magnae igitur sunt
 vtilitati vbi congestiones ad internas partes et spasm
 mi in externis adsunt. Ad sanguinem humectan-
 dum profunt et spasmm vasorum minuunt, ideo-
 que humores commouent, transpirationem adju-
 uant, quam ob causam crisin per diaphoresin pro-
 mouent. Tempore itaque criseos adhibentur vbi
 nempe cutis sordida et squalida, calida atque sicca
 est, vnde sudoris eruptio impeditur.

E. Can-

ff) Tissot Anleitung für den gemeinen Mann. a. d.
 franz. Hamburg 1767. p. 239.

gg) Memorabilia circa aerem, vitae genus, sanitat. et
 morb. Clausthalienf. annor. 1774. 1777. p. 24.



E.) Cantharides. Permulti medici cantharidibus in febribus inflammatoriis sine speciali indicatione plane empirice vtuntur, quod omnino rationi obest, nam irritamentum augent, quod iam in febris adest. Secundum diuersam pulsus naturam morbus duo habet radia.

1) Pulsus est durus, magnus, calor magno-
pere auctus, febris vehemens; hic venae sectio in-
dicata est.

2) Pulsus mollis et morbus tamen vehemens
perdurat; hic cantharidibus vtuntur.

In sequentibus casibus generatim iis vti licet.

a) Dolore partis alicujus, vnde inflammatio
topica timenda est, hic primum venae sectio est in-
stituenda, deinde cantharides et quidem parti do-
lenti sunt admouendae.

b) Si pulsus mollis sit et morbus tamen per-
manet et cutis sicca; primum balnea tepida et tunc
cantharides sunt adhibendae.

c) Si post sufficientem venae sectionem pulsus
mollis et debilis et ab irritamento spasmodico con-
gestionibus ad omnes partes producantur, vnde deli-
ria, comata somnolenta et respiratio difficilis ex-
oriuntur.

§. 10.

Crisis.

Febris ad methodum descriptam tractata sol-
uitur plerumque septimo aut decimo quarto die per
sudorem aut vrinam ope idoneae videlicet curandi
methodi et in viscerum sano statu, vbi nulla adest
inflammatio topica. Febris inflammatoria sine in-
flam-

inflammatione topica est semper signum viscerum benevalentium. Natura viribus propriis crisin promouet, dum modo ei impedimenta e.g. motus nimis vehementes, spasmi de medio tollantur. Medicus plane quiescit, largum potum iubet ad materiam morbificam facilius expellendam. In crisi cutis fit humida et mollis, lingua mollis, pulsus aequalis et mollis. vrina frequens, nubecula gaudens, sitis minuitur, dolores capitis decrescunt, tunc non amplius antiphlogistica indicata sunt, vt nitrum, acida, quippe quae vires ad crisin perficiendam necessarias debilitarent, sed potius diaphoretica, vt flores sambuci, spiritus Mindereri dosibus paruis propinanda sunt. Crisis saepius diutius perdurat, quam ipsa febris. Post primos criticos paroxifimos aegrotum aëri exponi non licet, et semper adhuc diaetam animalemitare debet. Quidam in reconualescentia Corticem commendauerunt, sed inutilis est, nam vires sponte redeunt. Vfus ejus materiae morbificae expulsionem plenariam impedit, quibusdam tamen casibus idoneus esse videtur, si quidem soluta febre inflammatoria, febris cum specie intermittentis typi remanet, nisi sordes aut obstructions adsint. Adhibendus quoque est in iis febribus inflammatoriis, in quibus aegroti tantopere debilitantur, vt variae passiones inde nascantur. Hic casus apud eos obseruatur aegrotos, qui debiles sunt et quibus tamen propter febris vehementiam vnaesectiones erant institutendae. Vbi suppuratio vniuersalis est timenda et in febribus putridis Cortex etiam cum emolumento adhibetur. Crisis nisi perfectam sanitatem restituat, mali exitus consequuntur, huc referendae sunt suppuratio vniuersalis, inflammationes topicae, vt pleuritis, hepatitis, enteritis etc. et febres putridae.

tridae. Vnaquaeque febris inflammatoria simplex, si in summo statu versatur, maxime inclinatur ad febrem putridam. Summam partium solidarum intentionem sequitur subita relaxatio vehementem motum humorum sequitur resolutio. Praecipue hoc efficitur calido anni tempore aut cubicalis maxime calefactis, constitutione epidemica putrida, externis putredinem adjuuantibus causis, cubicalis, quibus insunt vapores putridi, vicinitate paludum etc. in aegrotis ipsis etiam causae inveniuntur, quae febrem putridam producant e. c. vermes fordes primarum viarum exulceratio viscerum.

§. II.

Regimen.

Morbi symptomatum ope docemur, sanguinem et alios humores esse diluendos, transpirationem cutaneam, vrinam, salivam et alias excretionem imminutas; vasa nimis rigida et calorem totius corporis ingentem esse. Haec omnia nobis suadent, regimen ita institui ut sanguis diluatur, humorum corruptio corrigatur, calor ingens moderetur, spasmodica vasorum contractio tollatur et secretiones adjuventur. His omnibus satisfacere possumus potu largo diluente ut decoctis pomorum. Serum lactis citratum etiam egregium est antiphlogisticum; paratur eo modo, ut feruenti lacti cum aqua mixto decorticata citra addantur, quo lac coagulatur, vices ejus cremor tartari aut parva aceti vini copia gerere possunt; exigua etiam vini albi quantitas coquenti lacti addere licet, unde sero lactis jucundior sapor redditur. Si alius obstructa fuerit, tamarindorum decoctum tanquam potus solutus in usum venire potest. Omnes hi potus tepidi esse

esse debent. Aegroti non multum semel, sed saepius et parum porrigendum est, diaeta aegroti leuis et parca esse debet et vegetabilis, cubiculum non nimis lucidum sit sine strepitu neque calidum. Calor enim amplius adhuc irritat et ad resolutionem putridam disponit, et partes serosas dissipat, saepissime aër recens in cubiculum admittendus est; at tamen aegrotus aërem frigidum euitare debet. Levissimis vestimentis operiendus est. Tempore etiam criseos major paulo calor prodest. Curandum est, ut caput aegroti elevato situ ponatur. Situs erectus in lecto saepius egregium praestat effectum, si vires aegroti hoc permittunt, quum impetus sanguinis ad caput eo impediatur; nihilo minus situm hunc nimis longe persequi licet. Si aegrotus ad sudorem inclinatus, melius est si situ horizontali decumbat, et tantum caput ceruicalibus paululum suffulciatur. Aegrotum etiam reficere videtur, si cubiculum aceto vini conspergimus, quod saepius fieri debet, praecipue si tempestas fuerit calida. Omne irritamentum ab aegroti remouendum est, ceterum, ut aegrotus, quantum fieri potest, quiescat, curandum est. ^{hh)} Conuentus hominum, strepitus omneque, quo animus turbatur, ei est detrimento, nimis quoque lucis splendor et omnia, quae sensus afficiunt, euitanda sunt. Eorum, qui curam aegroti suscipiunt, exiguus tantum adsit numerus.

Homines laboribus grauibus dicati, statim post superatam febrem labores suetas subire non debent, sed tam diu reconalescentiae prospicere debent, donec vires plane restitutae fuerint.

The-

hh) Tissot medic. und chir. Gymnastic aus dem Franz. mit Anmerkungen. Leipzig 1782. p. 144.

T H E S E S.

- a.) Abortus recurrens primo, periculosior est.
- b.) Specificam febrim dysentericam esse, nego.
- c.) Causa morbi proxima a morbo ipso separanda est.
- d.) Inflammationis causa proxima raro irritamentum esse videtur.
- e.) Febris puerperalis natura inflammatoria est.
- f.) Gangrena raro neque partium destructione, neque humorum dissolutione necat.
- g.) Ulcerum inueteratorum consolidatio retentivne acrimoniae in corpore nocere nequit.





10/10

PICA





DISSERTATIO INAUGVRALIS MEDICA

15

DE

F E B R E
INFLAMMATORIA
SIMPLICI

CON

I

MED.

SCHOL

CI

FRI

